DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ERRORIBUS LOCI,

QUAM

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS

D. JO. NIC. SEB. ALLAMAND,

A. L. M. AC PHIL. DOCT. PHILOSOPHIAE ET MATHESEOS IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu*, *&* *Nobilissimae* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini submittit

ABRAHAMUS VAN OVEN,

HAGA BATAVUS.

Ad diem 14. Decembris 1759. hora decima loco solito.



LUGDUNI BATAVORUM Apud GERARDUM POTVLIET.

VIRO

ERUDITISSIMO LITTERATISSIMO,

D. NOACHO SAMUELI

VAN OVEN,

IN BRITANNORUM METROPOLI CIVITATE FREQUENTISSIMA LONDINENSI MERCATORI VIGILANTISSIMO, PATRUO SUO EXOPTATISSIMO, OMNIGENO HONORIS CULTU AD ROGUM USQUE COLENDO.

Hasce Studiorum Academicorum primitias Consecrat

ABRAHAMUS VAN OVEN.



PROŒMIUM

Qui Miracula Dei recte considerare vult, qui Divini Numinis artificia, haud imitabilia, captum humanum superantia, scrutari studet, cui, inquam animus est, res adeo pretiosas, serio contemplari, iste non faciat longinqua itinera, huic non opus vastis evolvendis libris; solum humani organi Theorema ei sufficiet; solum Oraculi Delphini adagium (Secundum sensum litterarum) nosce te ipsum, *aviditati curiosi satis faciet, & haud dubitans cum Jobe* (a): in carne mea videbo Deum, *exclamabit. Hinc sapientissima Antiquitas, non inepte, hominis structuram,* μικροκοσμον, *seu mundum parvum vocabat, considerans quippe, non solum ad opificium curiosissimum æquiparans Telluri, quoad partes ejus solidas, sed manifestius, quoad fluidas: quemadmodum enim in hoc terrarum orbe, omnia fluida, Maria, aliave flumina, suis in locis coërcentur, providentia Divina, effato ipsius Dei, in Libro supra memorato,* (b) *hisce verbis: quis conclusit ostiis Mare, quando erumpat, quasi*

(*a*) Job Cap. XIX. vs. XXVI. (*b*) ibidem Cap. XXXVIII. vs. VIII. & seq.

si de Vulva procedens? quum componerem nubem Vestimentum ejus, & caligine illud, quasi fasciis involverem, circum dedi illud terminis meis, posui vectem, & ostia, & dixi: usque huc venies & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos &c. Ubi autem, Jussu Divino, extra suos aggeres erumpunt, quam dira mala inde oriuntur, proh Dolor! quales pernicies passi sunt exundatione aquarum Littoris incolæ? quoties istis flante vento rapido, totalis intenduntur ruinæ minæ: Pari pacto accidit in corpore humano, quamdiu, humores ibi proprii, in propriis Canalibus continentur, non extra limites egrediuntur tamdiu florent partes constituentes, viget homo, & sanitate fruitur; ubi autem accidit, ut extra alveolos, præter naturam perrumpant, & per alienas vias vehantur, ecce! omnes functiones perturbantur, imo, quod dolendum, aliquando tota Machina inde destruitur.

His perpensis, hanc materiem breviter percurrere ratum duxi, materies sane in arte Æsculapiadea altioris indaginis! sed sat prolixe alibi industriâ celeberrimorum virorum exarata est. Ego, tantummodo Laureolam acquirens medicinalem, laudatissimo Jnclytæ hujus Academiæ mori, satis facere, sum conatus.

Unicum hoc addo, falleris Lector benevole, si quid novi â me exspectas, nil novi ad feram, omnia fere, quæ in venies, celeberrimis in arte viris, debeo, & tam libris excerpta, quam oribus absorbta sunt.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE ERRORIBUS LOCI.



CAPUT PRIMUM.

Explicatio Errorum loci in genera, & Definitio.

§. I.




Corpus humanum ex partibus fluidis æque, ac solidis, (*c*) (*d*). conflatum esse, cuique Studiis Medicis incumbenti notissimum; utræque partes Errores loci pati posse, neminem, credo, inficias iturum. Errores loci solidorum, ne egrediamur extra limites, consulto prætermittimus: præsertim, dum perpolite tractati sunt, â clarissimis Viris (*e*) inter quos non infimi subsellii est celeberrimus GAUBIUS, praeceptor meus ad ultimum halitum Venerandus) Errores loci autem fluidornm, aut strictius humorum (solus addendus aër, quem potius fluidum, quam humorem dicis) nostrum est tractare.

§. II. Hi Errores multis veteribus non innotuere, ut GALENO, ejusve asseclis, contendentibus, quia humores non sunt stabiles in corpore humano, hinc id genus malorum, quasi pendens à stabilitate quoque non posse existere; HIPPOCRATES & CELSUS eos tamen observabant, in Hydropum speciebus, ubi Lympha aberrat, (*f*) Magnus BOERHAVE, ut fere totam Medicinam, sic etiam hos in apricum duxit, (*g*) quos glossâ suâ

(*c*) Heister. compend. Anat. §. 22. & seqq. (*d*) BOERHAVE institut. §. 39. (*e*) GAUBII inroduct. ad Patholog. §. 256. (*f*) BOERHAVE in institut. §. 732. & aphoris. Cap. de obstructione. (*g*) in Comment. ad aphoris. ibidem.

suâ Celeb. VAN SWIETEN magis illustravit, (h) & non minus eos Cl. GAUBIUS dilucidavit.

§. III. In Definitione utor verbis Cl. GAUBII scilicet (i) *quod humores non suo, sed alieno loco sint*, qui humores vel sunt sani sola mutatione loci morbosi redditi, vel morbosi, hoc vitio magis morbosi facti; dilucidioris ordinis gratia, coacti sumus eos subdivisere.



CAPUT SECUNDUM.

Variæ Species Errorum Loci.

§. IV. Primo nobis occurrit (l) Error fluentium, est nempe, dum humor e suis in aliena vasa detrusus, hæc permeat tanquam in sua propria, & ad fines perducit; hicce Error, dum ad huc solus est in humore per se sano, nullo obstructionis, stagnationis, effusionis vitio stipatus, praeter incommoda raro, morbum periculosum creat; accidit hicce Error multoties in hominibus, valide motum muscularem exercentibus, in iis tunc nascitur agitatio justo major, humores rarefiunt, & in vasa minora crassior pars sanguinis defertur, clare vidimus tunc hæc vasa prius invisibilia illico rubore translucentia: ubi autem rursum hi quiescunt, Elater horum vasorum se restituit, humor alienus mox foras expellitur, & colorem adipiscuntur naturalem: in animi pathematibus, per spasmodicam contractionem subito pallent homines, praesertim sexus sequior, quæ phænomena animâ sedatâ evanescunt. His periculosius, si talis Error in bile accidit, (m) ubi hepar infarctum est presso pede sequitur icterus, nempe diffusio bilis ad habitum Corporis, qua omnes partes haud exceptis oculis, flavo afficiuntur colore. Si renes haud sua obeant munia, & sufflamnentur lotium, saliva, mucus gastricus, & intestinalis, non secus, ac alii humores urinam redolent, omnium autem periculosissimus, si materies

ries

(h) in introduct. §. 397. ad 405. (i) ibid. §. 398. (l) ibid. §. 399. (m) Lieutaud. Elem. physiolog. sec. prim. pag. 55.

ries morbosa, alicubi stagnans rapitur in communes circuitus vias. E. g. (*n*) Materies Podagrica, quæ fixa est ad articulos, ubi rapitur in massam sanguineam, tetros efficit morbos, sic Cl. BOERHAVE loquitur: apoplexias, paralyses, deliria, debilitates, sopores, tremores, convulsiones universales. si in cerebrum introivit; Asthma, tussim, suffocationem, si in pulmones; pleuritidem sævam convulsivam, si in intercostalia & pleuram; Nauseas, anxietates, vomitus, ructus, tormina, spasmos vasorum, si in viscera abdominalia, & ita incredibile, quod morbos creat, sæpe subito lethales (*o*). Bilis atra turgens hujus farinæ est, quæ dira producit mala numerata a laudato Authore.


§. V. Secundo non minoris momenti est Error impactorum, aut obstructorum, hic humor triplici peccat vitio aberrationis, stagnationis, ac obstructionis, dum per ostium dilatatum, in vas alienum ingressus est, ad finem naturaliter angustiorem, aut per spasmum magis contractum, permeare non potest, ubi mora, & calore stagnat, ergo vas obstruit, liquori a tergo urgenti viam impedit, inflammationes producit omnigenas, secundum naturam vasorum obstructorum, & liquorum obstruentium, (*p*) quum has ritè pertractavit immortalis BOERHAVE, hisce diutius incumbere superfluum esset.

§. VI. Tertio valde memorabilis est Error excretorum vel secretorum, cui duplex est species: prima, nempe, dum materies utilis usui corporis destinata foras emanet; talis error maximo detrimento Corpori est, quoniam privatur humore necessario; ut in hæmoptysi, hæmorrhagia narium, dysenteria, mensium fluxione immodica, mictu cruento, ubi sanguis sanus excreatur; in diarrhæa, lienteria, affectione cæliaca, sudore nimio, gonorrhæa, fluore albo corpus orbatur utilissimis liquoribus. Altera species minus periculosa consistit, dum humor secernendus, non per proprium emunctorium, sed per alienum repurgatur; tales clare vidimus in mensium ob-

(*n*) BOERHAVE aphoris. §. 1273. (*o*) ibid. §. 1104. (*p*) in aphoris. Cap. de obstruct.

obſtructione, præſertim in virginibus teſtante Hippocrate, (*q*) ſic ſudoris ad inſtar, nullo tamen ſolutæ cohæſionis indicio ſanguinem menſtruoſum ex toto corpore vidit Cl. GAUBIUS; Inde in (*r*) vomitum, & diarrhæam (*s*) cruentam mulieres incidiſſe notant celeberrimi authores (*t*); (*u*) in ictero ubique bilis excernitur, ut ſaliva in nonnullis amaritiem quamdam contrahat. Urina plus æquo ſaturata, & obſcuré flaveſcens emittitur adeo, ut linteaminibus immerſis croceum colorem impertiatur. Pari pacto accidit in lotii ſuppreſſione, ubi omnes humores urinam redolent (*x*). In Ileo vidimus rejectionem violentam per os eorum, quæ cibi, potûs, medicamenti titulo aſſumtæ ſunt; aut chyli, bilis, ſeri ſtomachici, pancreatici, inteſtinalis, bilis atræ, muci, puris, ichoris, fæcum inteſtinalium, clysmatum ipſorum. Sic novi virum nobilem, qui per multos annos omnia ingeſta per os reddebat, nullatenus per alvum egerebat, & quod mirandum, ſaniſſimus erat.

§. VII. Quarto annumerandus Error effuſorum, ubi vas rumpitur, humor in eo collectus in interſtitia delabitur ibi ſtagnat, qui latiore ſenſu vocatur Εκχυμωσις. Si Lymphæ hoc accidit, variæ inde oriuntur hydropum ſpecies, poſtea explicandæ.



CAPUT TERTIUM.

Humores Errores Loci Subeuntes.

§. VIII. Sane nullus humor corporis humani horum errorum eſt expers, inter quos principem locum ſibi vindicat ſanguis; humor catholicus iſte, dum ubique in corpore fere reſidet, omnium errorum loci genera patitur, nam in hominibus validè motum muſcularem exercentibus, in animi pathematibus vidimus Errorem fluentium (*z*), ſupra deſcriptum (*a*), ſi in

(*q*) de Morb. mulier. (*r*) Stalpert van der Wielen obſerv. XVII. cent. poſt. (*s*) GALENUS de locis affectis ultim. cap. (*t*) J. Freind. in Emmenologia, paſſim in ephemerid. natur. curioſo. (*u*) Lieutaud. Elem. phyſiolog. pag. 55. (*x*) BOERHAVE inſtitut. §. 816. (*z*) §. 4. (*a*) BOERHAVE aphor. §. 118.

in arteriosis serosis flavis in os dilatatum ad basin Canalis conici ruit, corpusculum finem longe augustiorem tranare non potens, vas obstruitur, rubra oritur inflammatio (*b*), tollerat igitur Errorem secundi generis (*c*) clarè liquet (*d*), talis error in inflammatione vasorum subtilissimorum tunicæ adnatæ oculi. Non minus subit errorem effusorum (*e*), rupto enim vase quomodocunque (*f*) per αναστομωσιν, διαπηδησιν, vel διαιρεσιν humor colligitur in interstitiis, a distensione factis inter partes solidas corporis (*g*), pertinent huc tumores inflammatorii exanthemata, hæmorrhagia interna, aneurisma verum, varix, sugillatio, aneurisma Spurium Εκχυμωσις, secretorum Errorem fert in mictu, cruento, ubi loco urinæ sanguis mingitur, dilatatis vasis urophoris (*h*), in hæmoptysi exit sanguis plerum que floridus hoc vitio peccans dilatatis vasis pulmonalibus, aut ruptis; idem in vomitu cruento dysenteria, ubi cruor excernitur, sudor cruentus nonnunquam visus est (*i*); sæpe numero loco lactis effluit (*l*); imo (*m*) loco spermatis in ipso tempore coitus nisi merum sanguinem effluxisse memorant Authores. Sic quoque alteram speciem erroris excretorum perpetitur in mensium aberrationibus, est enim secernendus per vasa uterina, ut varia Exempla docent apud Authores (*n*) (*o*) (*p*) (*q*) descripta, unde illud HIPPOCRATI (*r*), *Mulieri sanguinem evomenti, menstruis erumpentibus vomendi finis;* iis, qui habent fluxum periodicum per vasa hæmorrhoidalia, si talis fluxus sistitur, nascitur aliquando mictus cruentus.

§. IX. Serum aberrat (*s*), si in Lymphaticis arteriosis dilatatis finem longè angustiorem tranare non potest, talis aberratio videnda in Erysipelate, aut rupto vase alterum genus Ecchymoseos parit, ac iisdem erroribus ac sanguis subjectum est. §. X. Etsi

(*b*) GAUBII introduct. §. 103. (*c*) §. 5. (*d*) van SWIETEN in comment. ad aphoris. Capit. de obstruct. (*e*) §. 7. (*f*) BOERHAVE institut. 732-2. (*g*) GAUBII introduct. §. 403. (*h*) BOERHAVE aphor. §. 1199. (*i*) de le Boe Sylvius Lib. 3. Cap. x. §. XXVIII. (*l*) Sennertus. (*m*) R. TOBIAS in opera Medica Hebraicè pag. 114. (*n*) RUISCHIUS in adversariis. (*o*) Amat. Lusitani centur. II. cur. XXI. (*p*) dodonæi Libr. XV. (*q*) River. Lib. XV. (*r*) Lib. V. aphor. XXII. (*s*) BOERHAV. aphor. §. 122.

§. X. Etsi Lympha humor subtilissimus, si non præter naturam est rarefactus, non videatur hocce vitio peccare posse, quia non invenit vasa minora, attamen Erroribus §. 6, 7. descriptis non est immunis, rupto enim vase, aut foras effluit, aut (*t*), œdema, pustulas, leucophlegmatiam totius membranæ cellulosæ, hydropes capitis, thoracis, abdominis, uteri, ovarii, testium, scroti, peritonæi creat.

§. XI. Lochia suppressa aberrant sæpissime, a quibus omnia phænomena, ut in menstruis aberrantibus, aliquando horrenda creant symptomata.

§. XII. Urina in ischuria supressa Errores Loci patitur, & per totum systema circulationis vehitur, ut omnes humores suo odore inquinet; sic narravit nobis Celeb. GAUBIUS in suis annuis exercitationibus pathologicis, se vidisse exemplum ischuriæ pertinacis, ubi urina per Diarrhæam effluebat.

§. XIII. Ipsum lac ab errare confirmat (*u*) Cl. BOERHAVE hisce verbis: dum fluit ab uteri vasis restrictis in mammas pabulum serosum Lacteum, febricula exoritur, qua orte sæpe lochia omnino retinentur unde infinita, & pessima indolis symptomata; pro ut in hoc illudve viscus rapiuntur, hinc phrenitides, pleuritides, anginæ, paraphrenitides, mammarum inflammationes, pejor hepatis, ventriculi, omenti, mesenterii, Lienis, renum, intestinorum, tum Dysenteria, colica, illiaca, apoplexia, paralyses, & multiplex sane mali species.

§. XIV. Neminem credo dubitare, quin bilis utraque cystica & hepatica hoc vitio inficiatur, exemplo esto in ictero, ubi totum corpus nec oculis exceptis cineritium adipiscitur colorem; Bilis rejectio aliquando per inferiora, & superiora sat nota est.

§ XV. Ipse chylus nonnunquam non ad vasa lactea defertur sed una cum fæcibus alvinis ejicitur, ut in affectione cæliaca.

§. XVI. Materies perspirabilis, & sudor non minus, quam cæteri humores hos errores ferunt; neminem fugit per frigus Susceptum, eorum excretiones perturbari, & alias tunc ipsis quærere vias.

§. XVII.

(*t*) BOERHAV. institut. §. 732. (*u*) aphor. §. 1329.

§. XVII. Loco peccare posse salivam & mucum, si in asperam arteriam deferantur (*x*) affirmat *de la Boë Sylvius.*

§. XVIII. Imo adeps hisce erroribus obnoxius est testante Ruyschio, ubi exemplum adfert, de Equo valido cursu mortuo, cui aperto abdomine stupenda copia pinguedinis liquefacta in cavo abdominis erat inventa.

§. XIX. Humor (*z*) corruptus, pus, ichor, sanies, materies morbosa cruda, ac cocta multoties aberrant, quod aliquando salutare est per μεταςάσεις benignas; sic pleuritidi laborantes, si nascuntur iis abcessus ad aures, vel ad crura liberantur; virus variolosum per contagium susceptum, & sanguini mixtum, febre incitata ad cutis superficiem depellitur, quandoque noxias inferunt, dum ad nobiles partes ruit materies morbosa, præsertim, si cerebrum petit. Exemplum memoratu dignum legitur in actis parisinis fœminæ cujusdam, cui subito ambo deciderant brachia quasi per sphacelum, solummodo per humorem corruptum huc translatum.

§. XX. Quin (*a*) & aër his erroribus maxime est deditus, aër, dum summopere est necessarius vitæ nostræ, in corpore suos privatos habet canales, quos naturaliter permeat: dum autem alios ingreditur, & rarescit, multas Emphysematis species generat; aliquando ad totum corporis habitum, in membrana cellulosa valde distensili Tympanitidem causat; quoniam humoribus intermixtus est, ubi pressio Atmosphæræ desiit, sui compos fit, sui juris facit, se expandere in molem immanem, & tunc tumores, colicam flatulentam profert.



CAPUT QUARTUM.

Causæ proximæ, ac remotæ Errores loci producentes.

§. XXI. Innumerabiles sunt causæ, quæ dictos errores producere possunt, præcipuæ tamen memorandæ sunt. Causæ a Pathologicis, in proximas ac remotas dividuntur, de primis primo agendum.

§. XXII.

(*x*) de Method. meden. Lib. 1. cap. IX. §. 24, 25. (*z*) Gaubii introduct. §. 403. (*a*) ibid.

§. XXII. Inter has se præfert vitium quoddam in solidis natum, (*b*) quod ἀναστόμωσις audit, quod sit ostii admittentis aut emittentis immodica laxatio; hæc sola errores omni varios generat, dum justo laxior est, aut plus, aut aliud quid, quam lex sanitatis exigit, introat, exeatve.

§. XXIII. Excitantur hi Errores vitio altero, quod (*c*) Διαπήδησις sonat, quando fibræ vasorum membranaceæ ita divelluntur, ut interstitia hiantia nascantur, quæ transudant humorem continendum.

§. XXIV. His etiam ansam præbet tertium vitium (*d*) Διαίρεσις græce, est vera solutio continui, a quacunque causa orta, eosdem præstant effectus.

§. XXV. Causæ remotæ dividuntur in causas internas, vel Externas, internæ vel vitium est in continentibus, vel in contentis, in fluidis, aut in solidis, vel in his simul.

§. XXVI. In continentibus, si solida sunt laxa (*e*), flaccida vi minori ultra modum se extenduntur, aut dilatantur; si fibræ sunt tenues, graciles, ut citius, quam per est, rumpantur.

§. XXVII. In contentis, nimirum, dum fluida peccant quantitate, ut vasa ultra modum distendantur, rumpantur, uti est πολυχυμία (*f*) plethora vera seu boni humoris ea abundantia, quam systema sanitatis ferre neqneat, (*g*) hinc arteriarum dilatatio tam sanguiferarum quam Lymphaticarum; plethora ad spatium, imminuta capacitas systematis circulatorii, haud pariter imminuta quantitas sanguinis; idem, dum peccat qualitate, si rarefiunt, oritur plethora apparens molem veluti auctam mentiens dum nimis sunt tenues solutæ, ut aptiores sint intrare aliena loca (*h*), acritate, si in quinentur parietes & ostia vasorum corrodunt, oritur διάβρωσις, seu erosio.

§. XXVIII. In his simul concurrentibus causis descriptis (*i*), causæ externæ commodé ad quatuor classes referuntur, ut sunt ingesta, gesta, retenta ac applicata externé.

§. XXIX. Ingesta comprehendit aërem, cibum, potum, medicamentum ac venenum. α. L.

(*b*) GAUBII introduct. §. 203, 11. (*c*) BOERHAV. institut. §. 707. (*d*) idem ibid. (*e*) GAUBII introduct. §. 160. (*f*) ibid. §. 387. (*g*) BOERHAV. aphor. §. 106. (*h*) GAUBII introduct. §. 206. (*i*) §. 26 ac 27.

α. (*l*) aër, quem semper inspiramus, si nimis est æstuans, corpus calefacit, humores dissolvit, rarefacit, eorum circulationem adauget, ergo nascitur plethora spuria dicta, e contrario solida debilitat, vasa minora aperit, unde humorum multiplex ab erratio; si nimis est siccus, eadem fere patrat. Si solito est frigidior solida contrahit cava canalium arctat, hinc contentis spatium solitum minuit, plethoram igitur ad spatium, & ejus sequelam profert, fluida versus alia loca determinat. Si idem nimium humidus, laxat solida, inertia reddit, humoribus colluviem serosam infert, & inde pendentia mala, eo magis, si calore comitatus est. Nonnunquam miasmatibus inquinatus est, & in corporibus vi veneni agit.

β. Cibus & potus quantitate peccant, si ingeruntur multa eâ qualitate, ut laudabilem chylum, bonum nutrimentum præbent plethoram veram causant; si ventriculus nimis sit infarctus, per superiora dejiciuntur, gererat tunc errorem excretorum, si copia ingestorum minor est, quam vitæ, ac sanitatis ratio postulat humores acres fiunt, solida destruunt, si qualitaté peccant, ut sunt calefacientia stimulantia, quemadmodum sunt omnia aromatica, vina generosa, spirituosa, humores calefaciendo rarefaciunt unde plethora ad volumen; si acrimoniâ, viscositate vel oleositate donati sint, cum humoribus has participiant, & eos in hos errores pronos reddunt.

γ. Medicamentorum intempestivus, non idoneus, vel nimis usus haud parum hic suum symbolum confert seu sunt evacuantia, omnia purgantia, emetica, & taliä plura, quæ humores tam utiles, quam inutiles huc derivant, qui pejor in evacuationibus criticis, ubi natura ad aliam vergit, seu alterantia, ut attenuantia, resolventia, &c. ut usu nimis salis volatilis oleosi, (*m*) quidam in hæmorrhagiam narium, vix curabilem inciderit referente Thoma Bartholino.

δ. Venena intus sumta vasa corrodunt veram solutionem continui producunt, ansam præbent omnibus erroribus.

§. XXX. Inter gesta pono motum muscularem auctum per (*n*) quam-

(*l*) Boerhave institut. §. 745. (*m*) in actis hafniensibus. (*n*) Boerhav. institut. §. 766.

quamcunque exercitationem corporis in toto corpore, vel in aliqua parte singulari, is auget semper villorum muscularium contractiones, & laxationes reciprocas, simulque velocitatem in omnibus humoribus; hinc fluida & solida nimium attrita dissolvuntur; rarefacti, magnoque impetu propulsi humores; sua vasa ultra modum dilatant, rumpunt; unde errores loci, secretionum, & exeretionum turbæ nascuntur. Animi pathemata qualiacunque, omnia perturbant, liquida intus, forasve depellunt, ut quotidiana docent Exempla, (*o*) quies nimia solida inertia, hinc ad rupturam prona reddit, plethoram veram inducit. Somni & vigiliæ excessus, quietis & motus vicibus ferè funguntur.

§. XXXI. Retenta si sunt, quæ excerni solent seu naturaliter, vel artifici aliter, multos errores generant, sic quibus in usu est sanguinis missio annua, si negligitur, multa incommoda parit. Obstructâ viâ excretionis humor excernendus per totum corpus circumvagatur, ut supra jam vidimus.

§. XXXII. Externa applicata corpori etiam in culpâ sunt, inter quæ primus est aër, qui continuo nos ambit & atmosphæra audit.

α. Atmosphæra frigida perspirationem perhibet meatus claudit, ad alia loca eam determinat; eadem nimis calida, sua munia exercet nimis laxando, humores solvendo, ut aptiores fiunt vasa aliena intrare; nimis gravida si sit, efficax est in corpore comprimendo, quibus circumfunditur, ergo fluida contenta figit, obstructiones parit, hinc plethora ad spatium; levitate si donata est, resistentia continentium ad contenta minuitur, vasorum igitur facilis dilatatio, unde errorum loci varia genera, luculenter apparet hoc in suctione, ubi pars rubet, propter ingressum alieni humoris, ob resistentiam imminutam ab externa parte, sanguis ex scarificata parte longe copiosius extrahitur, si applicantur cucurbitæ.

β. Vapor aquæ calidæ solida admodum laxat, ut liquet & rubedine nata, quia sanguis in aliena vasa intravit.

γ. Me-

(*o*) Idem aphor. §. 106. *γ*.

γ. Medicamenta Laxantia resolventia forma fomenti, Balnei, linimenti, unguenti, emplastri ad habita vim suam exercent, vel in hac parte sola, vel per poros cutis in massam sanguineam resorbta, agent tunc ut ingesta in toto corpore Laxando, resolvendo; idem efficiunt rodentia, caustica & similia.

δ. Omnia (*p*) instrumenta mechanica secantia, pungentia, ictum inferentia, rodentia, adurentia, distendentia, contundentia, rumpentia, quæ causant præcipuê diæresin.

ε. Hujus farinæ sunt fortis pressio, per vestimenta nimis arctè ligata, pondus incumbens, & omnia, quæ parietes vasorum adeo comprimunt, ut transitus negetur liquidis transferendis, quasi obstruentia in hac parte confer. §. 31.



CAPUT QUINTUM.

Diagnosis ac prognosis.

§. XXXIII. Enarratis causis, ordo exigeret, ut ageremus de effectibus, ast hoc myriadem dum continent totum librum potius, quam Thema Inaugurale postulant nos brevitati studentes, de his denuo repetere inutile judicamus; etenim liquidé ex ante dictis apparent.

§. XXXIIII. Signa autem Diagnostica, (*q*) vel hæc, quæ docent presentem conditionem corporis humani, quorum adminiculo Medicus scit, hos errores adesse, facile huic patebunt, qui cognitionem habet omnium effectuum, quos errores loci producunt. Facilius ad huc differt inter errores fluentium, impactorum, excretorum utrorumque, ac effusorum, horum qui omnium examussim gnarus est.

§. XXXV. Ex eodem fonte hauriuntur signa prognostica; (*r*) nempe quando prænuntiant ea, quæ in his futura sunt, adeo enim fœcundi sunt aliis producendis morbis, (*s*) ut hinc fere

(*p*) BOERHAVI institut. §. 800. (*q*) idem. §. 876. (*r*) ibidem.
(*s*) idem §. 734.

fere etiam inter causas morborum recenseri merentur. Qui nunc bene novit eorum proles istarumque eventus, non minus de his sciat prædicendum, an in sanitatem, alium morbum, vel mortem tendant.

§. XXXVI. Memoratu tamen dignum, quod hi errores non semper in detrimentum generis humani vergant: E contrario quandoque summa auxiliante natura, hominem a malo suo liberant, ut videndum in criticis evacuationibus, ideo Medicos naturæ ministros monitos vult Divus senex HIPPOCRATES ne has turbeant: dum dicit, (t) *quo natura vergit, eo ducenda*, hæc sunt adeo famosa apud veteres Naturæ molimina, de quibus passim legitur apud antiquos Authores.



CAPUT SEXTUM.

Errorum Loci curatio.

§. XXXVII. Tandem ad ultimum venimus, scilicet curationem, solus scopus, quem Medici sagaces collineare debent, Errores Loci, dum semina sunt aliorum morborum operæ pretium est illos mox sistere juxta illud.

Opprime, dum nova sunt subiti mala semina morbi,
Dum licet, in primo limine siste pedem.

§. XXXVIII. Dum autem a tam diversis ortum ducunt, luce clarius patet varia requiri medicamenta eos auferre, imo contraria, quae non commodius, nisi secundum species errorum referri possunt.

§. XXXIX. Error igitur fluentium humoris sani, nihil aliud requirit, quam restituendus elater vasorum, & ut humor alienus in proprium meatum propellitur, hoc obtinetur.

α. Si plethoricus est æger, venæ sectio commendanda est.

β. Si solidæ partes nimis debiles sunt, eas roborare per tonica roborantia, adstringentia & similia.

γ. Im-

(t) Aphor. 21. sect. I.

γ. Impetus, si auctus est per motum muscularem, vel animi pathemata, quies imperanda est, anima sedanda tam per rationes, quam per medicamenta sedativa dicta.

δ. Bili & urinæ, aberrantibus, dum dependent ab ictero & ischuria, medicamenta, quæ dictos morbos curant, exhibenda sunt, & sponte hi errores evanescunt.

ε. Materiei morbosæ aberranti summopere conciliandum est exitum, vel ea derivanda in partem ignobilem; primum molitur Medicus per evacuantia, alterum per epispastica, vesicatoria &c.

§. XL. Sed si talis Error adeo pervenit, ut vasa jam impegerit, vera tunc adest obstructio, quæ tollenda. (u)

α. Impactum retroferendum, evacuandum liquorem impactum urgentem per magnam subitam venæ sectionem, quâ nixus contracti vasis retro agitur. Idem efficit frictio ab extremis vasis ad Basin.

β. Idem resolvendum diluentibus, attenuantibus, resolventibus, vel propellentibus ad loca debita.

γ. Vasa laxanda per laxantia, humectantia, & emollientia; si autem omnia incassum adhibita sunt, ea suppuranda.

δ. Obstructione resoluta ut error fluentium ea tractanda.

§. XLI. Errores secretorum fere ut errores fluentium sanantur dum easdem habent indicationes: sed magis huc spectant revulsio, adstringentium & opiatorum usus.

§. XLII. Tandem Errores effusorum sanantur sequentibus:

α. Humori stagnanti, & in interstiis collecto, liber conciliandus fluor, dein exitus parandus per evacuantia, aut artem Chirurgicam.

β. Vasa debilitata roboranda, ne rursum dehiscant.

γ. Emphysemata aëris, per dissipationem, & discutientia auferenda; colicæ flatulentæ, carminantia ritè adhibita medelam adferunt.

§. XLIII. Hæc sunt, quæ paucis de cura Errorum loci tibi L. B. offerenda sunt, ex quibus pro libitu formulæ concinnari potest, si tibi allubescant, exulto; sin minus, consolor, satisfaciendo legibus Academicis me fecisse.

(u) idem Aphoris. §. 140. & seq.

TANTUM.

THESES.

I.

Causa proxima Errorum Loci semper in solidis quærenda.

II.

Errores Loci quandoque Salutares sunt.

III.

Errores Loci Materiæ nutritionis dari, statuo.

IV.

Perspirationem insensibilem, tempore hyberno, auctiorem esse, quam æstate, existimo.

V.

Istis principiis ratio menstruorum in fœminis nititur.

VI.

Quibus horum quantitas imminuta in viraginibus, debetur.

VII.

E Contrario, in viris vitæ sedentariæ deditis, fluxus hæmorrhoidalis, intelligitur.